





DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
IVRE EX PERSONA  
TERTII QVÆSITO

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO  
GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM  
ANGARIÆ, ET WESTPHALIÆ  
ET RELIQVA

CONSENSU ILLUSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ

SVB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI GOTTLIEB  
STRUVII

IVR. VTRIVSQVE DOCTORIS CVRIÆ DVICALIS SAXONICÆ  
ADVOCATI ORDINARIJ

PRÆCEPTORIS ET AFFINIS SVI PLVRIMVM  
COLENDI

IN ILLUSTRIS ACADEMIA IENENSI

M D C C X V I I I D I E      A P R I L I S

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

FRIDER. AVGVSTINVS WERNER.

SCHWARTZBURGICVS.

LEGVM CVLTOR.

---

IENÆ LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

DISSSERTATIO IURIDICA  
DE  
IURE IN PERSONA  
TERTII QVAESITO  
AVTORIS MAGNIFICENTISSIMO  
DOMINO  
GUILIELMO HENRICO  
DUCE SACRAE MAJESTATIS CAESARIS, ELECTORIS, ARCHIEPISCOPI, MONACHO  
AUSTRIAE, ET WESTPHALIAE  
ET RELIGIOSAE  
COLLEGIUM HANNOVERAE FACULTATIS IURIDICAE  
SVM PRÆSTIDIO  
DE FRIEDRICH GOTTLIEB  
STRUVE  
IUR. UTRIUSQUE DOCTORIS CIVIS PUGALIS SAXONICAE  
ADVOCATI ORDINARIUM  
PRÆCEPTORIS ET APOLOGISTAE CIVIS BUCHARUM  
COLONIÆ  
IN ILLUSTRI ACADEMIA IENENSIS  
M DCCXXIII DIE . . . . .  
PABULO ERUDITIONVM EXAMINI SUBMITTIT  
AVTOR ET RESPONDENS  
FRIEDR. AUGUSTINVS WERNER.  
SCHWARZBURGICVS  
LEGVM CANTOR

---


HINC LITERS. NICKELSCHERIANÆ





I. N. I.

THES. I.



**B**Ro-cardicum illud, *Regula* **Q**UOD NON *eradicatur.*  
**P**OSSVM PER ME, NON  
**E**TIAM POSSVM PER A-  
**L**IVM, MEO NOMINE GE-  
**R**ENTEM *L. 10. C. de hered. in-*  
*stit. l. 31. ff. eod.* toties toties-  
que in scholis inculcatur juri-  
dicis. Et: **Q**UOD ALICVI SVO NON LICET  
**N**OMINE, ILLVD NEC ALIENO LICEBIT,  
docer disertè Pontifex in *cap. 67. 68. de R. I. in 6to.* Ra-  
tio hõrum principiorum in autoritate legum propu-  
ganda, posita esse videtur; siquidem alias multæ leges  
prohibitivæ, factorum propriorum, circumducerentur  
substitutione aliorum, ex quo omnis earum vis  
ac intentio superioris pessum iret. Huic asserto ut  
antiquissimi, sic & recentiores ICi subscripserunt:  
Sic enim Paulus *L. 3. §. 1. ff. de usucap.* scribit: *sed eum,*  
*qui suo nomine nihil usucapere potest, nec per servum posse.*  
*Pedius scribit.* Et hoc eo magis notatu dignum, quo  
facilius indulgeretur olim acquisitionibus per servos;  
A nẽmpe,

nempe, ut ne ullo modo legalis dispositio eventu suo destitueretur, illud ne quidem per servum efficere fas erat. Qua propter etiam Ulpianus amplissime loquitur, in L. 2. §. 1. ff. de admin. rer. ad Civit. pertinent. ibi: *Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id nec per subjectam personam agere debet. Et ideo si decurio subjectis aliorum nominibus, pradia publica locat, que decurionibus conducere non licet, secundum legem usurpata revocentur.* Præterea hæc regula etiam viridi moderna praxi stabilitur, attestantibus variis exemplis & Ddrum allegatis. Ita extraneus bona avita per consanguineos retrahere nequit, cum tali jure in proprium, non tertii, commodum utendum sit. Richt. *decif. 76. n. 174.* Pari ratione Nobiles negotiationibus per L. 3. C. de commerc. & mercat. prohibiti, nec per se nec per mandatarium interesse possunt. Strach. *de Mercat. P. II. n. 17.* Marquardt, *de Mercat. L. I. C. 10.*

THESES. II.

*Limitatio  
subjicitur,  
& thema  
tractatio-  
nis propo-  
nitur.*

Hæc omnia utut satis in jure fundata, tamen haut simplici vice contrarium contingere solet: Ita, ut: QVOD QVIS EX PROPRIA PERSONA CONSEQUI NON POSSIT, CONSEQUATUR EX CONCURSU ET PERSONA ALTERIVS. notantibus Glossa & Interpp. ad L. 3. ff. que res pign. dar. vel oblig. Quia vero decimum hoc non tantum exactæ theoriæ, sed etiam quotidiano usui fori non exiguum lumen adfert, insuper etiam variis apprime jucundis & utilibus contemplationibus ansam præbet, hinc è re esse duxi, ejus fundamentum, rationes atque exempla ex jure Civili, Feudali & Canonico per modum Exercitationis Academicæ, pro ingenii viribus, illustrare.

THESES.

THES. III.

Reliquit nobis decisum hoc in monumentis *Autor ve-*  
 suis Iulius Paulus, Ictus ingenii acumine nemini *gula Iulius*  
 fecundus, qui tempore Alexandri Imperatoris floren- *Paulus.*  
 tissimus exstitit, & Ulpianum coævum habuit. Grotius  
*de vitis Ictorum L. II. Cap. 10.* Sedes vero regulae habe-  
 tur in *Libris Questionum*, quorum viginti consignasse,  
 Index Pandectis præfixus testatur. Nec me erraturum  
 credo, si dixero, assertum illud juris originem suam *Videtur*  
 mediæ quondam Ictorum jurisprudentiæ debere, cu- *assertum*  
 jus mentionem Justinianus in §. 3. *Inst. de legit. agn. succ.* *mediæ Ju-*  
 inspergit. *rispruden-* Quemadmodum enim huic jurispruden-  
 tiæ, per veterum Ictorum tradita excultæ, maxime  
 fuerat solenne & usitatum, regulis generalibus propo-  
 sitis, analogiam juris Civilis enodare, & vel amplian-  
 do vel restringendo rationem illius pertractare  
*L. 2. §. 5. ff. de O. J. L. 10. ff. de jure Codicill. Schubarth. de*  
*Fat. jurispr. Exerc. II. th. 54.* Ita quoque luculenter ex  
 hoc ipso Pauli effato nota characteristica jurispruden-  
 tiæ ætatis mediæ patescit. Extra enim hoc, quod in  
 omnibus iis locis, ubi Icti ad dictum axioma sese re-  
 ferunt, eorundem interpretationes offendamus, acce-  
 dit, quod Imperatores in Constitutionibus suis ad id,  
 tanquam principium, ex declaratione veterum Icto-  
 rum, analogia & ratione juris Communis nitente,  
 oriundum, provocent; insuper opinionem hanc ho-  
 norifica Pauli appellatio, qua P. Mutium Scævola,  
 qui sc. conditor mediæ jurisprudentiæ in *L. 2. §. 39.*  
*de O. J.* audit, suam vocat, tanquam à cujus doctrina  
 & scriptis dependeret, promovet, prout constat ex  
*L. 27. §. 2. ff. de pact. ex L. 38. de vulg. & pupill. subst.*

Porro sententiæ nostræ ad stipulatur argumentum, à frequenti allegatione placitorum mediæ jurisprudentiæ, qua Paulus utitur, deductum. Uti in *L. 14. ff. de Legib. L. 15. pr. ff. de usucap. L. 20. ff. de pæn. & alibi*. Ex his omnibus itaque comprobari affatim potest, quod extra omnem dubitationis aleam positum sit, axioma hoc inter prima iuris profundissimi principia haut ultimum obtinere locum.

THES. IV.

*Sedes regula exce-* Prodedit aut memoriæ hanc limitationem Tri-  
*ptiva & lig. non pos.* bonianus in *L. 3. in fin. ff. qua res pign. vel hypoth. dat. ob-*  
*sensus ex-* *EX SVA PERSONA NON HABET, HOC PER*  
*plicatur.* *EXTRANEVM PETERE POTEST.* Ita nimirum  
 se textus in vulgari Editione habet; legunt vero alii,  
 notante Gothofredo in Not. ad *d. l. pro petere* potius  
*habere*; verum utraque lectio non impedit, quo mi-  
 nus idem sensus maneat. Nam juris *petitio* & causa  
 unde quis jus tale legitime *habeat* & acquisiverit sunt  
 correlata *arg. L. 1. ff. de O. & A.* Et sic actuale exerci-  
 tium vox *petere*, vox *habere* vero jus respicit. Hanc  
 in rem merito conferenda *L. 143. ff. de V. S.* ibi: *Id a-*  
*quid se quis habere videtur, de quo habet actionem: habetur*  
*enim quod peti potest.* Intelligitur vero per *personam*  
 non tantum jus personarum vel jus ad rem, verum  
 etiam jus in re, & ita generaliter omne jus, quod per-  
 sonæ cuiuslibet ex quolibet juris capite competit. Quo  
 sensu enim in *L. 2. ff. de stat. hom.* dicitur; *jus omne ho-*  
*minum causa esse constitutum*, idem hic denotat, ut ita  
 persona hic consideretur *subjective*, ad quam ex dispo-  
 sitione juris, jus ex persona alterius quæsitum, refera-  
 tur.



tur. Add. *L. 138. de V. S.* Vocula autem *per* vario significatu in jure venit, sicuti Alciatus, Goeddeus, Rebuffus ad *L. 146. §. 1. ff. de V. S.* perhibent. Interdum enim notat perfectionem actus & temporis continuationem, aliquando actus intencionem, huc faciunt antiquæ formulæ jurare per venerationem Principis, *L. 2. C. de R. C.* Briffon. de formul. *L. VIII. princ.* Nostro vero instituto maxime ea significatio voculae *per* convenit, quæ continet relationem ad personam & proprium aliquod personæ jus. Quo spectant passim obvientes in Legibus formulæ: *Per se agere* quod non possit per alium exerceri, uti Paulus noster notat in *L. 2. ff. quem. servit. amitt.* ibi: *nam ire per se cum posse, qui actum haberet.* Et ita hic excluduntur acquisitiones per *procuratorem*, qui licet inter extraneas referatur personas, tamen non per se agit sed nomine alterius, cum è contrario Paulus hic talia intelligat jura, quæ jure quodam proprio ad certam quidem personam referuntur, verum ex dispositione juris alteri etiam fiunt communicabilia. Unde etiam *per se* & *per alium* sibi invicem opponuntur ab Ulpiano in *L. 2. ff. de hered. petit.* ibi: *sive suo nomine, sive per se, sive per alios effecti sumus.* Ut ita per hanc dictionem Jctus illud innuere velit, quod aliquis interdum jure sibi regulariter non competente, sed tertio, nihilo tamen secius gaudere, idque vel vindicationibus vel conditionibus persequi, propter personalem concursum, queat, quamvis alias ipsum solum consideratum Leges talis juris participem non fecerint. Præterea *per* idem significat ac *propter*, prout advertit

alibi

A 3

Strau-

Strauchius in *Lexic. Particul. ad d. voc. per*, & declarat quoque Paulus in *L. 2. princ. ff. de aqu. vel aqu. plu. arc.* ibi: *In summa tria sunt, per quae inferior locus, superiori servit: Lex, natura loci, vetustas, quae semper pro Lege habetur minuendarum scilicet litium causa.* Ut hinc eadem significatio, ad nostram Legem translata, nihil aliud involvat, quam facultatem quandam juris moralem, quae propter concursum & personam alterius nobis ex dispositione juris competit. Adjicitur denique *extraneum*, quo ipso eximuntur servi ac liberi vel subdomicani vel sub patria constituti potestate, siquidem tales ob fictionem juris & vinculum unionis pro extraneis non reputantur.

THESES. V.

*Quotupli-* Solet autem ista acquisitio ex persona tertii duobus potissimum sese exferere modis. Primo enim *ci modo* consequitur quis jus aliquod tale quod *antea non habuit*, quam cum ex concurrentia tertii illud eidem contingeret. Deinde acquiritur jus intuitu tertii, quod *antea nobis competit sed amissum fuit*, & ita quis ex persona alterius ad illud amissum restituitur. Insigne hujus rei exemplum ex Pauli deciso refert Papinianus in *L. 42. princ. ff. de bon. liberr.* Quae Lex utut obscurior, propter corruptam lectionem, tamen prout recte restituta à Cujacio *L. I. Obs. 38.* talem erutam continet speciem: Cajus ex duobus, quos habuit, filiis, unum haeredem facit, alterum exharedat; Postea vero filius haeres institutus, arrogando in familiam suam, exclusum à patre, assumit. Quæstio ergo movetur, an taliter arrogatus post mortem arrogantis patris consequatur etiam jura patronatus, in naturalis Parentis

rentis libertos. Neganda quidem ideo hæc quæstio videtur, quod à jure hoc paterno patronatus semel per patris dispositionem habeatur exclusus, & sic ad jus amissum non detur regressus, *quoniam pena, quæ Legibus aut Edicto irrogaretur, propter quam scilicet causam à patre naturali exheredari poterat, adoptio- nis remedio non obliteraretur.* Verum respondet Papi- nianus: *Paulus notat: Ei qui alio jure venit, quam eo quod amisit, non nocet id, quod perdidit, sed prædest, quod habet: Sic dictum est patrono eodemque patrone filio non obesse, quod quasi patronus deliquit, si ut patrone filius ve- nire possit.* Adeoque argumentatur, quod exhereda- tus jus ex propria persona amissum, recuperet ex per- sona defuncti arrogatoris, in cuius jura, locum & per- sonam succedere dicitur.

THES. VI.

Pro nostro itaque scopo habemus, jus vel *Objectum* noviter quæsitum vel amissum noviter restitutum. Alia res *acquisitio-* est, si sermo incidat de eo jure, quod quis alias qui- *nis per a-* dem habet, sed intuitu *certæ personæ* in actum fecun- *lium.* dum deducere nequit, siquidem citra respectum per- sonæ impediens ejusdem juris cursus patet liberri- mus. Et sic in proposito casu non tam quis impe- trat, aut quod nondum habuit acquirit, sed impedi- mento juris & exercitii sui eximitur. Quem casum *L. 6. ff. de vulg. & pupit. substit.* illustrat exemplo. Quippe in qua Lege ille, qui propter Legem Papiam Poppæam capere ex patris testamento solidum non poterat, v. g. filius naturalis, juxta *L. 2. Cod. de Liber. natur.* non prohibetur solidum capere ex bonis filii legitimi, aliunde quam à patre quæsitis, cui iste naturalis à pa- tre



tre suo naturali erat substitutus. Ergo prohibitio quæ excludit naturalem à successione patris, non aequè adimit hereditatem filii, quippe ad cuius personam ratio prohibitiva extendi nequit. Et licet unum sit in tabulis pupillaribus testamentum patris & filii, ut inde prohibitio respectu patris pertinere etiam videatur ad filium *arg. l. 2. §. 4. ff. de vulg. & pupill. substit.* tamen duæ sunt hereditates, una patris, altera filii, ut sic impedimentum, quod ex persona patris nascitur, non debeat porrigi ad personam filii. His non contrariatur essatum Ulpiani in *L. 36. ff. de don. mort. caus.* Vult enim in proposito ibi casu legatarius directo ex iudicio defuncti capere, quod foret in fraudem Legis Papiæ. Aliter autem sese habet in substitutione pupillari, vi cuius substitutus non tam ex patris quam filii voluntate quid accipit. Intellectu enim juris filii testamentum intervenisse fingitur, ut ita substitutus bona magis filii, quam patris consequatur. Simile exemplum nobis repræsentat filia, sese abdicans hereditate paterna, fratrum gratia. Hæc enim non diutius commodo successione in bona paterna caret, quam fratres, propter quos renunciatio inita, adhuc in vivis extant. Verum si fratres diem supremum ante patrem subierint, non præjudicat ipsi pactum renunciativum interpositum in favorem fratrum, cum causa & fundamentum pacti morte fratrum deletum sit. *Gall. II. Obs. 148. n. 10. Struv. Synt. Civ. Exerc. 38. ib. ult.*

THES. VII.

*Quomodo  
fiat species*

Fit porro talis ex persona tertii acquisitio rursus duplici modo; aut enim ita, ut ille tertius simul concurrat,

currat, & sic ex concursu ejus consequamur jus ali-  
quod simultaneum & *cumulative*, veluti exemplum  
inferius declarabit, circa restitutionem in causis indi-  
viduis. Vel ita, ut jus alterius, mediante legis dispo-  
sitione immediata, in nos *privative* habeatur transla-  
tum, uti habet *L. 14. de divers. temp. except.* Quando  
nimirum quis, ad complendam præscriptionem, suis an-  
nis annumerat & antecessoris, in bona fide constituti,  
annos, ut ita justa possessio antecessoris prosit etiam suc-  
cessori *L. 19. L. 20. de usuc.* Idem offendimus in juri-  
bus ex persona defuncti ad hæredem translatis, de  
quibus infra erit agendum. Quamvis si penitus in-  
trospiciamus, istiusmodi casus saltem oblique & illu-  
strationis tantum gratia instituto regulæ nostræ ad-  
jungi queant. Nam in præscriptione quod attinet,  
jus antecessoris, erat illud adhuc imperfectum, & de-  
mum in persona præsentis possessoris ad maturita-  
tem suam pervenit, consequenter non tam jus ex  
persona tertii acquisivit, quam cœptum in propria  
persona perfecit. In juribus vero ad hæredem trans-  
latis, fit minime concursus plurium personarum, sed  
propter characterem representativum hæres cum per-  
sona defuncti una persona esse censetur juxta *Nov. 48.*  
*princ.* & ita jura illius, per mortem non extincta, suscipit:  
Verum cum tamen istæ personæ maneant  
*naturaliter* separata, & *civilliter* invicem, quoad com-  
moda accessionum & jura communicata, possint dici  
concurrere, ideo respectu hujus civilis concursus dua-  
rum personarum, naturaliter tamen distinctarum, &  
communicationem commodorum ac jurium invicem  
factam, casus tales huc etiam referri merentur.

*rim con-  
cursus ser-  
tii.*



*Funda-  
mentum  
acquisitio-  
nis.*

Caput & basis hujus acquisitionis est *interpretatio* *J*ctorum *extensiva*, cui postmodum accessit *approbatio* *Legis civilis* arg. *L. 74. de condit. & demonstr. verb. beneficio* *Legis*. Quoniam enim juxta *Legum Civilium* fundamenta, obligationis & acquisitionis principia ab ipsis personis acquirentibus & paciscentibus debeant proficisci, uti eleganter tradit Paulus in *L. 11. ff. de O. & A.* Et factis firma sit juris regula: *Quod extraneo extraneo nullum jus aut actionem possit acquirere juxta L. 38. §. 17. L. 126. §. 2. d. V. O. L. 73. §. fin. de reg. Jur. Vini. ad §. 4. Inst. de inutil. stipular.* Attamen prælucente ipsa æquitatis ratione, contrarium postea in nonnullis casibus per usum & interpretationem *J*ctorum obtinuit, sicuti ad hanc rationem Gajus provocat in *L. 39. ff. de negot. gest.* ubi ait: *Solvendo quisque pro alio licet invito, & ignorante, liberat eum: quod autem alicui debetur, alius sine voluntate ejus non potest exigere: naturalis enim simul & civilis ratio suavit, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis & invito nos facere posse, deteriore non posse.* Hoc itaque naturalis rationis principium successu temporis melius excultum, inserviente ipsa juris civilis coherentia, donec tandem perpetuam decisionibus normam posuerit. Quod jus civile ejusque analogia præcipue in eo latet axiomate, quo à veteribus juris peritis derivato gaudemus, nimirum: *Quod quis ex uno capite consequi non potest, tamen ex alio capite potest consequi.* arg. *L. 3. C. de petit. hered.* Inde patet, cur ille qui vi legati, rei alicujus particeps fieri nequit, eandem, hoc nonobstante, hæres institutus per universitatem adipiscatur juxta

juxta *L. 62. ff. de A. R. D.* Ita ex uno capite neglecta hæreditas, aut præscriptione amissa, potest iterum ex alio capite agnosci atque acquiri *arg. L. 17. §. f. ff. de acquir. l. omit. hered.* Struv. *Exerc. 34. th. 34.* Similiter extraneus cui testamentaria prohibitione præclusa est via capiendi bona mediante alienatione, non statim arceatur à successione in eadem bona, qui casus est *L. 38. §. 5. ff. de legat. 3.* Uti ergo, mutata causa petendi & acquisitionis, prohibitio quandoque legalis cessat; Ita quoque ex pari jurium analogia induci potuit, ut mutata persona idem quis posset consequi, quod alias solus habiturus non fuisset, & sic per personam alterius quis capiat, quod ipse quis ex propria persona capere non potuisset.

THES. IX.

Fit præterea talis acquisitio ex persona tertii *Fit hæc immediate* ex intellectu jurium concessivo, & beneficio acquisitionis quodam legali. *L. 12. pr. de Reb. aut. judic. possid. immediate* Et hæc de causa discrimen notandum, quod intercedit inter eam acquisitionem, quæ fit singulari facto, pacto aut stipulatione, quam tertius in nostrum favorem interponit, & nobis aliquando, contra regulam juris acquirit, quorum refertur *L. 3. C. de donat. quæ sub mod. L. 13. §. 7. ff. de acceptil.* & alii similes casus, quos exhibet Dn. Floercke in Dissert. *de jure ex pacto tertii* *facto acceptil.* *quis.* & in compendio quodam, quoad praxin peritissimum, repræsentat Wernher *P. 1. Obs. 132.* Differentiæ enim ratio in eo consistit, quod ex instituto nostræ regulæ acquisitio fiat *immediate*, etiam invita & ignorante persona concurrente, sine speciali ejus facto ad hunc finem ordinato. At vero in posterioribus

casibus acquisitio fit *mediate* ex voluntate tertii, expresse in nostram utilitatem paciscentis. Ut ita ista acquisitio magis ad *legalem*; hæc potissimum ad *conventionalem* sit referenda.

THES. X.

*Rationes  
indagan-  
tur (i) fa-  
vor perso-  
narum.*

Rationes & causæ hujus acquisitionis diuersi-  
modæ sunt. 1) *Favor personarum*. Ne enim jura in  
favorem alicujus introducta detorqueantur in ejus  
odium contra *L. nulla 25. ff. de Legib. L. 6. Cod. 20d.*  
inde recte interpretatio jurium, ex præsumta legisla-  
toris voluntate, eo extensa fuit, ut quando unus cum  
altero concurrat, qui minus jus habet, tunc fiat juris  
privilegiati communicatio, ne alias jus alterius lædatur,  
cum jura magis prodesse debeant quam nocere; *Quotiescunque* enim odium & favor concurrunt,  
toties constat, favorem odio prævalere. *Menoch. remed. I. recuperanda poss. num. 379.* Cujus rationis no-  
tabile exemplum est in materia juris accescendi ac  
substitutionis, quando portio alterius gravata cum  
portione non gravata in eandem personam conjun-  
ctam concurrunt; Tunc enim si portio gravata, jure  
accrescendi vel substitutionis vulgaris obveniat isti,  
qui ultra dodrantem gravatus in sua portione non  
est, utitur ille jure detractionis ex persona deficientis  
coheredis vel collegatarii, ne scilicet portio acce-  
dens gravata lædat portionem nobis integram atque  
inexhaustam relictam per *L. 78. ff. ad Leg. Falcid.*

THES. XI.

*Explicatur  
L. 16. ff. de  
legat. cont.  
1. abb. præ-  
stand.*

Atque huc spectat Ratio dubitandi ab Ulpiano  
allegata in *L. 16. ff. de legat. contr. tabb. præstand.* Cum  
enim à patre testatore filius suus esset præteritus; &  
alter



alter filius emancipatus esset institutus, & uterque bonorum possessionem contra tabulas petiisset; suus quidem propter præteritionem; Emancipatus vero, quod, omiſſa causa testamenti, velle ab intestato ex Edicto Prætoris, Unde liberi, succedere. Quærebatur, an emancipatus nihilominus teneatur legata præstare parentibus & personis aliis exceptis, quippe quæ alias suus præteritus, impetrata bonorum possessione contra tabulas, non præstare tenebatur juxta effatum Pauli, *in L. 15. pr. ff. de bon. poss. contr. tabb.* Certe quidam ex antiquis Juris neque emancipatum, hoc casu, legata præstare debere existimabant, quia tunc alias in effectu fratris præteriti auferret partem dimidiam, cum si emancipatus petere non potuisset hereditatem, suus solus totam hereditatem absque onere habiturus fuisset; id quod etiam innuit Ulpianus in d. l. 16. dum ait: *emancipatus vero numquid nec ipse præstat; quia ei rem auferret, qui præstaturus non erat, si solus esset.* Et ita propter hoc dubitat Ulpianus, quia sic lædi videatur favor filii sui præteriti, cujus pars per indirectum imminueretur, deductis de tota hereditate legatis. Verum licet contrarium hic decidat Ulpianus, & legata præstanda esse velit ab emancipato, siquidem talis jure antiquo, alio titulo, quam institutionis ad hereditatem civili jure pervenire non posset, ut sic ille *qui plena defuncti voluntate fruatur, etiam plenum obsequium judicio testatoris præstare debeat.* Attamen & hoc ita accipiendum, ne lædatur pars concurrentis sui, cum ista legata emancipatus pro sua tantum parte præstare debeat. Add. Faber *Conjectur. Jur. Civ. L. V. T. 3.*

*Secunda  
Ratio con-  
nexas  
causarum  
& differe-  
ntia à  
jure accre-  
scendi.*

Altera Ratio est *Connexitas Causarum*, quæ quan-  
doque inseparabilis censetur, & jurium quandam  
communicationem inducit *arg. L. 4. §. 4. ff. si serv. vin-*  
*causarum hic. Reusner L. II. decis. 4. n. 18.* Connexum vero illud  
& differe- dicitur proprie, quod alteri ita adheret & annectitur,  
ut ex eo sequatur necessario sive in antecedens sive in  
consequens. Menoch. *Remed. I. recup. possess. n. 377.*  
In hoc simile quid habet cum *jure accrescendi*, quod  
inter conjunctos obtinet, aliquando etiam post con-  
cursum realem, uti exemplum est in usufructu, plu-  
ribus relicto *L. 3. §. 2. ff. de usufr. accresc.* In eo tamen  
etiam institutum nostræ regulæ differt, quod hi inter  
quos jus accrescendi obtinet, quilibet ab initio habeat  
jus in solidum ex propria sua persona & tantum concursu  
inter se partes faciant *L. 3. pr. ff. de usufr. accresc.* sive ita,  
ut separatim unicuique pars rei discreta non assigne-  
tur, sed conjunctim res pluribus relinquatur, quæ po-  
stea inter concurrentes legatarios, in partes, re di-  
cretas, dividitur *L. 34. §. 9. de legat. 1. l. 80. de Legat. 3.*  
*Struv. Synt. Civ. Exerc. 12. tb. 27.* At vero in nostra re-  
gula alter ex sua persona jus non habet, vel ad mini-  
mum, non plenum jus, verum illud tantum ex con-  
curso & persona alterius consequitur,

## THES. XIII.

*Differen-  
tia à cor-  
reali obli-  
gatione.*

Spectatur autem hic porissimum *connexitas*  
*causarum*, quæ datur intuitu *personarum*. Unde non  
qualibet rerum individuitas, quæ alias jus solidi &  
correalem quandam obligationem inducit hic admit-  
titur. Venit enim *continentia causarum* vel à per-  
sonis jus aliquod invicem commune habentibus.

ARG.

arg. L. 1. ff. de quib. caus. ad eund. jud. eat. vel ex natura & qualitate obligationum, prout tales vel dividuæ vel individuæ sunt. L. 4. §. 1. de Verb. Oblig. Aestimatur vero illa obligationum qualitas ex natura *objecti* in conventionem deducti, ut si hoc vel natura vel jure sit individuum, tunc & jus illi inhaerens & obligatio atque actio inde descendens, ejusdem formæ esse dicatur L. 6. C. fam. *ercisc. Laut. in Compend. eod. p. m. 150.* Verum hoc jus solidi in eo à nostro instituto differt, quod illud. jus solidi cuilibet ex *proprio* jure vel per conventionem vel ex natura rei individuæ acquiratur, adeoque jus unius à jure alterius non dependeat, sed quilibet separatim ex *sua* tantum *persona* jus solidi consequitur, quod quidem cum jure alterius, quoad fundamentum petitionis & qualitatem *objecti* connexum & correaie est, sed non ex concursu demum alterius personæ descendit. Et sic breviter magis ex *re* quam ex *persona* provenit. Cum è contrario nos tales hic inquiremus casus, ubi principaliter jus nostrum ex concursu personæ tertii dependet, licet aliquando propter connexitatem rerum ac juriurum etiam realis sit communitio, quæ tamen *objectum* tantum acquisitionis hic constituit, non vero *subjectum* & fundamentum seu causam. Conf. Gometz *Var. Resol. Tom. II. Cap. 102.*

THES. XIV.

Tertia causa est *Ficta* quædam *personarum representatio*, quæ aliquando facit, ut una persona fungatur vice alterius, & sic paria jura ex ejus persona consequatur, quæ alias proprio jure habiturus quis non fuisset. Atque hæc rursus est duplex, alia enim ex *titulo*

Tertia *representatio* analogia, *ficta representatio personarum.*

titulo quodam *universali* & *charactere hereditario* descendit, ita, ut *haeres plus juris saepe ex persona defuncti consequatur*, quam ipse habuerit; alia venit *ex titulo singulari*, ubi apertius se legis officium exserit, ut quis *ex jure quodam surrogationis* locum alterius ingrediatur & ita jura ejusdem capiat. Prioris rei exemplum est in *L. 4. ff. de Decur.* ibi: *Decurio, qui prohibetur conducere quadam, si jure successerit in conductione, remanet in ea: quod & in omnibus similibus servandum est.* Erat nimirum olim *Curialibus & Decurionibus conductione interdicta*: non tantum publica v.g. *vectigalium L. 6. §. 2. ff. de Decur.* sed etiam rerum privatarum *L. 30. C. de locat.* nisi jure successionis in conductione succederent *d. l. 4.* tunc enim ex necessitate contractus, locatio ab iisdem non tam suscipitur, quam ex Legis dispositione transfertur. Coeterum licet hac prohibitio moribus nostris cesset, tamen ex *d. l. 4.* generale faciunt axioma: *Quod successionis causa quadam liceant, quae alias forent prohibita.* Cujus asserit aliud exemplum est in *L. 1. §. 11. 12. ff. ad Leg. Corn. de fals.* ubi deciditur: quod licet alias tutor vel curator, qui adhuc rationibus tutelaribus est implicatus, nequeat cum fisco contrahere, quin in crimen & poenam falsi incidat *d. l. 1. §. 9. l. un. C. ne tut. vel Curat. vectig. conduc.* attamen si jure hereditario successerit in fiscale contractum, poena cessat. Posterioris exemplum est in *L. 3. ff. quae res pign. vel hypoth.* de quo inferius erit dicendum.

## THESE XV.

Competit hoc jus autem nobis jus ex persona tertii quaesitum quoad exercitium suum jure quodam proprio

prio plene ac *directo*. Unde quoque semel nobis qua-  
 situm non amplius deinde ex persona alterius depen-  
 det, nec facto ejus contrario nobis rursus adimi po-  
 test; verum illo quoque invito, beneficium nobis se-  
 mel collatum exercere licet. Expressum hujus deci-  
 si exemplum ab Ulpiano refertur in *L. 10. §. 8. ff. de  
 bon. poss. cont. tabb. ibi: Hi qui propter alios bonorum pos-  
 sessionem contra tabulas petunt, non expectant, ut prateriti  
 bonorum possessionem accipiant, verum ipsi quoque bonorum  
 possessionem contra tabulas petere possunt. Cum enim semel  
 beneficio aliorum ad hoc beneficium fuerint admissi, jam non  
 curant, petant illi, nec ne bonorum possessionem. Conf. L. 3.  
 §. 11. L. 14. ff. eod.* Nimirum antiquitus interdum li-  
 beris etiam institutis dabatur bonorum possessio con-  
 tra tabulas, scilicet si quidam instituti fuerint ex e-  
 mancipatis liberis, quidam prateriti, tunc beneficio  
 prateritorum & instituti possunt uti, ut bonorum  
 possessionem contra tabulas testamenti consequan-  
 tur, etiam prateritis nondum petentibus *dd. text.*  
 Cujus petitionis usus in eo consistebat, ut ita rescis-  
 so per bonorum possessionem contra tabulas testa-  
 mento, hereditatem ex æquo quis consequatur, &  
 ita institutus ampliorem partem capiat, v. g. si insti-  
 tutus sit ex uncia, aliis cohæredibus adjectis, jam ex-  
 pugnato testamento per bonorum possessionem con-  
 tra tabulas, nunc semissem hereditatis consequitur,  
 inter eum & fratrem prateritum, quasi ab intestato  
 ex æquis partibus divisa hereditate. *Wissenb. ad  
 Pand. P. II. Disp. XI. th. 14.* Ex quibus patet, quomo-  
 do nostrum institutum differat à *Cessione*, quippe quæ  
 non jus aliquod proprium, sed exercitium tantum  
 alieni

C

alieni juris vel actionis in nos confert. Quæ omnia  
secus se habent juxta ductum regulæ nostræ traditæ.

THESES. XVI.

*Acquisitio per consequentiam* Acquirimus ita ex persona Tertii vel *principaliter & simultanee, vel per consequentiam.* Quo pertinet solennis regula: SI VINCO VINCENTEM TE, VINCO TE  
*regula:* IPSVM, quam tradunt *Surdus Conf. 125. n. 14.* Mantica de *conjecturis ultimarum voluntatum L.X. Tit. 7. n. 6.* & alii plures. Ejusdemque regulæ occurrit notabile exemplum in *Cap. VII. de Concess. præbend. in 6to,* ubi Pontifex ait: *Autoritate Martini Papæ prædecessoris nostri, quodam ad præbendam primò in Parmensi ecclesia vacaturam nulli alii de jure debitam in ejusdem ecclesie Canonicum recepto, & alio à nobis in eadem ecclesia similem gratiam adepto secundo, tertius deinde autoritate nostra in ipsa Parmensi ecclesia in Canonicum, & in fratrem recipitur cum prerogativa gratiæ, quod omnibus prædecessorum nostrorum autoritate, non autem nostra receptis in affectione præbende debeat anteferri: post hæc autem vacavit quadam præbenda in ecclesia memorata, queritur quis eorum alteri præferatur, & secundum quem ordinem præbendas assequi debeant tres prædicti? cum igitur ex tenore gratiæ, tertio à nobis concessæ appareat evidenter, nos voluisse, primo tertium, & secundum tertio anteferri: decernimus, quod primam secundus, secundam tertius & tertiam primus debet obtinere præbendam: alias forma mandati minime servaretur. Licet enim ex persona sua, secundus primam obtinere non posset: ex persona tamen tertii, qui primum superat, illam habet. Nimirum licet ex Concilio Lateranensi, ministeria & beneficia ecclesie tribui, aut promitti non debeant, antequam vacent, juxta *Cap. 2. de concess. Præbend. in 6to* tamen successu temporis Provisiones Papales inductæ fuerunt*

Cap.

*Cap. 2. de prebend. in 6to.* Duaren. de *Sacr. Ecclēs. minister. L. V. Cap. 8.* quæ primitus quidem suavoriæ tantum erant, neque illarum præsentatio ligabat manus ordinariorum collatorum, quo minus aliis, quam expectantibus, beneficia conferre possent, uti docet *Cap. 6. de concess. prebendar. in 6to*, postea in necessitatem conversa fuerunt. Petr. Gregor. de *Rescript. L. 1. Cap. 4. n. 3.* paucis beneficiis exceptis, quæ sub gratia ista expectativa non comprehensa dicuntur, uti exemplum est in beneficiis electivis *Clement. 1. de Prebend.* item in patronatis arg. *Cap. 28. X. de 7. Patron. & aliis.* Postea adeo ampliata fuerunt istæ expectantia ut pluribus etiam super uno beneficio provisiones concederentur, inter quos provisos concurrentes licet ordo temporis regulariter sit observandus *Cap. 31. de prebend. in 6to*, tamen posteriori sit aliquando proviso sub clausula: *Anteferri*, quæ tunc ex posteriori facit priorem. *Cap. pen. de prebend. in 6to.* Cum enim expectantia non sit actualis beneficii collatio, sed tantum assignatio quædam conditionalis, in casum vacantia facta, nec proinde jus in re expectativo tribuat; Inde potest concedens juri tali nondum perfecte quaesito antevertere, & posteriori prærogativam concedere. Conf. Corvin. de *Benefic. L. VI. tit. 4.* De hoc igitur casu & modo factæ provisionis agunt verba præsentis nostri capituli relata, cujus proinde sensus recte ita summatur; si tres Expectantes sint in una ecclesia, quibus generalis proviso in beneficium ejusdem Ecclesiæ, proxime vacaturum est facta, *Unus* quidem autoritate Martini Papæ; *Alter* autoritate

Bonifacii, *tertius* ejusdem autoritate, cum Clausula: ut praeferatur omnibus receptis non autoritate Bonifacii; Præbendas hi hoc consequentur ordine, nimirum præbendam *primo* vacantem consequitur *secundus* provifus, utpote qui partim provifus à Bonifacio præferitur propter prioritatem temporis & tenorem clausulae, partim provifus à Martino primum vincit, quia tertius provifus ex Clausula sua eidem præferitur, ut sic obtineat regula; si vinco vincentem te, vinco te ipsum. Præbendam *secundo* vacantem consequitur *tertius* in ordine proviforum, propter clausulam suam insertam. Præbendam denique *tertio* vacantem *primus* obtinet; Et ita fructus quidem gratiæ ad omnes pervenit, sed ordo habetur mutatus.

THESES. XVII.

Cognitis proinde fundamento & rationibus

*Privilegiatus trahit ad se non privilegiatum in iis que invicem separari non possunt.* Regula nostræ limitativæ, progredimur ad exempla, quorum primum se offert circa *Privilegia*, circa quæ notatur Canonistarum & Practicorum assertum: *Privilegiatus trahit ad se non privilegiatum in iis que invicem separari non possunt.* Ut enim privilegiatus beneficii principalis fructu largissime fruatur, juxta dispositionem *L. 3. ff. de Constit. Princip.* idcirco inductum habetur, ut fructus concessi privilegii etiam ad non privilegiatos pertineat, si alias usus ejusdem plenarius non detur. Exemplum hujus decisi referunt ex *Cap. 12. X. de sepult.* ubi Pontifex rescribit; Excommunicatorum corpora aliquo casu in cœmiterio ecclesiastico tumulata, si discerni possint, exhumari debere, sin non possint discerni, non expedire, ut cum ossibus excommunicatorum, corpora extumul-

len-



Ientur fidelium. Et ita jus sepulturæ honestæ quod ex jure & privilegio parochiali parochianis & fidelibus competit, etiam excommunicatis fit communicabile, quamquam hi alias honesto sepulturæ loco habeantur privati. *Clement. i. de Sepult.* Idque non tantum in odiosis procedit, sed multo magis in favorabilibus, quippe quæ latioris alias interpretationis habentur, uti declarat *Cap. ad audientiam 13. X. de Præscript.* ex quo concluditur; Quod privatus si jus aliquod commune ac individuum vel dependens cum Ecclesia Romana v. g. jus census habeat, eodem gaudeat privilegio, ut non currat eidem præscriptio, nisi centenaria. Ut enim jura ecclesiæ servantur intacta, privilegium hoc etiam aliis est communicatum. *Add. Zasius L. II. Conf. 19.* Ex pari ratione asseritur, quod aliquando *personalibus* quoque beneficiis fruantur extranei cessionarii, causam ab iis privilegiatis habentes; si nimirum horum interfit, sive si hi alias ab usu eorundem privilegiorum excluderentur, vel damnum sentirent, & ita evenit in tali specie, ut quibus quisquam ipse ex sua persona non utitur, per aliam personam iisdem fruatur, uti casum in terminis decisum refert *Mev. Part. IV. decis. 151.* Licet enim alias privilegia causæ cohærentia v. g. hypotheca ad cessionarium, mediante cessione transferantur *Lauterb. de hered. vel. act. vend. p. m. 333.* tamen personalia regulariter non transeunt v. g. jus prælationis uxori in repetitione dotis competens *arg. §. 19. Inst. de Actiom.* Attamen idem specialibus casibus quandoque fallit.

Explicatur l. 9. ff. de assignand. libert.

Circa jus personarum ex veteri *Assignandi libertos* jure, symbolum ad hanc materiam confert Modestinus in *L. 9. ff. de assignand. libert.* ibi: *utrum ei tantum, qui in potestate sit, an etiam emancipato filio assignare libertum Patronus possit, si modo non pauciores quam duos praeterea in potestate habeat, dubitari solet? & magis est posse.* Nimirum quamquam olim ex Legibus XII. Tabularum jus patronatus ad omnes manumissoris liberos transferebat, & ita ad omnes patroni liberos, qui ejusdem gradus sunt, aequaliter bona libertorum pertinerent. Attamen postea speciali SCro cautum fuit, licere parenti uni ex liberis assignare libertum, ut post mortem ejus solus is patronus haberetur, cui assignatus erat, & ceteri liberi, qui ipsi quoque ad eadem bona, nulla assignatione interveniente, pariter alias admittebantur, nihil juris in his bonis haberent, sed ita demum pristinum jus recipiant, si is, cui assignatio facta, decesserit, nullis liberis relictis *L. 1. ff. de assignand. libert. §. 1. Inst. eod.* Dabatur autem haec assignandi facultas ei, qui duos pluresve liberos in potestate habebat, & quidem tantum liberis in potestate extantibus assignatio fieri poterat, non vero regulariter emancipatis, adeo, ut si is, cui pater assignasset, postea emancipatus fuerit, evanescat assignatio *§. 2. Inst. de assignat. libert.* Siquidem Lex XII. Tabularum hoc jus ad familiam restrinxit, nec possit id extra familiam transferri, & ita emancipati erant ab hoc jure exclusi, cum per emancipationem agnationis jura solverentur, & emancipatus ex familia patris exiret *§. 3. Inst. de legit. agnat. tut.* Quamquam igitur

igitur ex hoc jure assignatio antiquitus tantum inter  
*fios* obtineret, attamen cum postea ex jure Pratorio  
 etiam emancipati ad successionem vocarentur, qua-  
 stio emergebat, annon etiam emancipatis posset, sal-  
 va juris Civilis analogia, assignatio liberti fieri? id  
 quod etiam quaerit Modestinus in *d. l. 9.* & affirmati-  
 ve decidit, eo nimirum casu, si emancipatus habere  
 conjunctum in assignatione fratrem in potestate pa-  
 tris manentem, ut ita assignatio, qua non posset sub-  
 sistere in emancipato, valeret ex jure sui haeredis, &  
 ita habebat emancipatus per alium, conjunctum sci-  
 licet fratrem, quod per se habere nequibat. Merill.  
*l. VII. Obs. 13.* Quod tamen ita declaratur, ut talis  
 conjuncta assignatio suo & emancipato, quidem va-  
 leat ex persona utriusque, modo tamen pater assi-  
 gnans ad minimum unum adhuc vel plures filios  
 haberet in potestate, praeter illum, cui assignationem  
 una cum emancipato fecit, quoniam non nisi inter  
 duos sit locus electioni seu assignationi arg. *l. 107.*  
*de V. s.* Ergo si unus tantum sit in potestate, nulla  
 est assignatio, nec propterea emancipatus facere pot-  
 est ut valeat, cum tantum valeat propter suum, cum  
 quo proinde alium suum concurrere oportet, inter  
 quos fiat electio. Conf. Bachov. ad *d. s. 2. Inst. de*  
*assignat. libert.* Wissenb. ad Pand. *d. 2.*

THESES. XIX.

Circa Statum porro libertatis pulchra ab Ulpia-  
 no refertur quaestio in *L. 7. s. 2. 3. ff. de liberal. caus.* ibi: *E. 7. §. 2. 3.*  
*Si quis sciens liberum emerit, non denegatur vendito in liber-*  
*tatem proclamatio adversus eum, qui eum comparavit: cu-*  
*jusque sit status, qui emus est: idcirco, quia non est venia-*  
*dignus,*

dignus, qui emit, etiamsi scientem prudentemque se liberum esse emerit. Sed enim si postea alius eum emerit ab hoc, qui scivit, ignorans: deneganda est ei libertas. Si duo simul emerint partes, alter sciens, alter ignorans; videndum erit, numquid is, qui scit, non debeat nocere ignoranti? quod quidem magis est. Sed enim illa erit questio: partem solam habebit is, qui ignoravit, an totum? Et quid dicemus de alia parte? an ad eum, qui scit, pertineat? Sed ille indignus est quid habere, quia sciens emerit: rursus qui ignoravit; non potest majorem partem domini habere, quam emit; evenit igitur, ut ei profit, qui eum comparavit, sciens, quod alius ignoravit. Equidem licet antiquo jure Civili is, qui ingenui patris & major viginti annis, ad pretium participandum, se tanquam servum venundari passus erat, libertatem amitteret, in poenam admixta fraudis L. 5. §. 1. ff. de Stat. hom. L. 16. C. de liberali. caus. tamen hoc insigniter limitatur in d. L. 7. §. 2. Si nimirum emtor sciverit talem ingenuum esse, tunc enim proclamatio ejusdem ad integros natales non impeditur. Quod si igitur duo emerint, quorum unus sciverit, alter non, ignorantia unius prodest scienti, ut & ille suam partem retineat salvam, & cesset ad libertatem proclamatio, cum hæc in se sit individua, nec idcirco ex parte fieri queat. Quamquam enim alias sæpe scientia unius noceat alteri, uti casus est in L. 7. §. 2. de Bon. poss. atamen hoc procedit in causis separatis atque dividuis.

Filia illegitima nubens viro legitimo an legitima fiat?

THES. XX.

Ex jure & statu familiarum huc referri meretur l. 3. C. de natur. liber. ibi in fine deciditur; Quod filia naturalis nubens Curiali, maculam nativitatis amittat, atque ex persona & dignitate Curialis Viri eam con-

consequatur conditionem, quæ alias foemina per se habere non posset, utpote à dignitatibus atque officiis publicis exclusa *l. 2. ff. de R. I.* Quod quidem antiquitus per extensionem quandam *Oblationis ad Curiam*, erat constitutum, quod modus ille legitimandi, uti in genere ad liberos naturales pertinebat, ita quoque in filiabus suum producere deberet effectum. Verum an idem hodie procedat, nego, quod nimirum filia illegitima, nubens Viro honeste nato, propterea, ex solo matrimonio, integros natales consequatur. Cum enim ille modus legitimandi, qui olim per oblationem Curiae fieret, hodie sit abrogatus, & præterea jus singulare in favorem Curiae constitutum continebat, non poterit hoc per generalem quandam consequentiam ad mores nostros hodiernos extendi. Et cum apud nos matrimonium tantum illud legitimationem inducat, quod inter stupratam & stupratorem ipsos contrahitur *Cap. 6. X. qui fil. legit.* atque liberis tantum, non vero parentibus proficere dicatur, ideo recte concludimus, quod ex hoc solo, quando filia spuria nubit honesto viro absque speciali legitimationis actu macula nativitatis non abstergatur; Sequitur enim uxor dignitatem quidem mariti in iis, quæ à civili ratione dependent v.g. præcedentia, foro *L. 8. ff. de Senator. L. 13. C. de dignit.* verum non in iis, quæ ex ratione naturali proveniunt. Conf. Stryck. in *Uf. Mod. Pand. ad tit. de his qui sui vel alien. jur. §. 20.*

## THES. XXI.

Potissimum vero exerit se effectus nostræ regulæ in causis *minorum individuis*, quæ cum majorennibus sunt communes, ita ut privilegium ætatis vel re-

*Effectus  
regula cir-  
ca mino-  
res in cau-  
situ-*

*fis indivi-  
duis, quæ  
cum ma-  
joribus  
communes  
sunt.*

stitutionis eo nomine data minori, profit etiam majori, licet alias ex sua persona sine concursu minoris restitutionem in integrum non haberet arg. *L. 10. ff. quem. serv. amitt.* Tunc autem hoc sensu causa dicitur individua, quando is, qui restituendus est, non potest sentire effectum restitutionis plenarium, nisi eadem restitutio etiam cæteris profit. *Hœpinck Cons. VI. Quæst. 3. p. 282.* Ad hanc proinde individualitatem causæ, non sufficit sola communio, sed legalis vel naturalis quædam causarum continentia simul adesse debet. *Berlich. P. 1. decis. 180. n. 5.* Nec obstat *L. per fundum 11. ff. de servit. præd. rustic.* ex cujus textus argumento contrarium vult evincere *Gometz Var. Resolut. Tom. II. Cap. 14. n. 10.* Etenim respondetur, agit textus de jure in fundum, pluribus communem, *inducendo*, ubi certe omnium Dominorum consensus est necessarius, cum tunc jure communi prohibentis conditio habeatur potior *L. 28. ff. Com. div.* Ex hoc tamen non valet argumentum ad jus jam constitutum, saltem propter beneficium ætatis restituendum, ubi jus amplius non dependet à conventionem partium, sed ab autoritate Legis & dispensatione Legislatoris, quæ certe pleniorum habet effectum. Prodest porro talis restitutio in causa ejusmodi individua minoribus indulta adeo majoribus, ut hisce casibus non opus habeant nova petitione seu actione, sed ipso jure restitutio concessa talem effectum habeat; ut ita major ope exceptionis se tueri possit, si ex eadem causâ, in qua minor restitutionem impetravit, conveniatur. *Berlich. d. decis. 180. n. 4.* Ampliatur ulterius, etiamsi res in se sit divisibilis quoad com-

commodum utendi. Nam si sic divisa non afferat eandem utilitatem in parte, quoad partem ipsi minori restituto, quam afferret eidem, si in totum omnibus prodesset; censentur res nihilominus & causa penitus individua; & ita etiam majoribus litis confortibus restitutio prodest. *Add. Oddus de Restit. in integr. P. I. Quest. 46. Art. 4. n. 13. q. non salubri max.*

THES. XXII.

Ex dictis itaque fuit notabile (1.) circa praescriptionem, quod privilegium aetatis minoris, initium ejus vel cursum impediens, aut completam rescindens etiam majorenni prodest in causis individuis. *Berlich. decis. 180. n. 8. Idem (2.) observatur circa juramenti delationem & praestationem; ut, si duobus vel pluribus, in communi plurium cohaeredum causa juramentum pro se & nomine aliorum fratrum minorennium, per sententiam judicis fuerit adjudicatum, & tempus jurandi elapsum sit, restitutio minoribus indulta contra lapsum fatale, datur etiam majoribus in eadem causa, cum juramentum sit quoddam individuum & invicem connexam causam involvat. Coler. dec. 173. Oddus. de Restit. in integr. P. I. qu. 46. Artic. 6. Pariter (3.) si plures sint emphyteutae, qui non solverunt canonem, inter quos esset minor, tunc restitutio competens minori adversus poenam caducitatis competit etiam majoribus communem emphyteusin habentibus, est enim canonis praestatio individua. *Berlich. decis. 180. n. 16.* Licet enim ipse fundus emphyteuticus divisionem recipiat, tamen supponitur hic casus, ubi fundus adhuc erat inter majorem & minorem communis, neque restitutio hoc casu fit*

*Thes. anterior exemplis declaratur ex Jure Civili.*

811T

D 2

ob

ob fundum, sed ob canonem non solutum, qui totam rem afficit, sic, ut divisionis beneficium possessori partis nil profit arg. *L. 2. C. si un. ex plur. hered. deb.* Unde quoque præsens decisio cessat, si fundus semel fuerit divisus, & cuilibet sua portio separatim obvenit, tunc enim restitutio minori contra suam partem indulta, non prodest majorenni in sua parte divisa. Oddus de *Restitut. Part. I. qu. 46. Art. 6. n. 26.*

## THES. XXIII.

*Exempla  
afferuntur  
ex jure  
feudali.*

Parili modo res se habet in foro Feudali, ubi circa renovationem investituræ Feudistæ observant. Quod si feudum minorenni cum majorenni adhuc fuerit commune, restitutio minori data contra lapsum spatii annalis, intra quod alias petenda investitura II. F. 24. etiam prodest majorenni compossessori *Struv. Synr. Feud. Cap. 10. th. 9. n. 3.* Similiter si feudum, minori cum majorenni commune, sine consensu Domini fuerit alienatum, & ob id à Domino directo revocatum, restitutio minori indulta, prodest etiam fratri majorenni. *Heigius Part. II. Qu. 19.* Id quod ulterius extenditur etiam ad majores invicem in communione feudi individui v. g. jurisdictionis, juris pascendi &c. existentes, ita ut innocentia unius excuset alterum de feloniam convictum, & inde uterque feudum retineat. *Schurf. Cent. I. Cons. 49. n. 6.* Unde si duo sint fratres, ab uno Domino feudum commune habentes, & unus eorum Dominum, in acie periclitantem, deseruerit, alter vero frater eundem defenderit, uterque frater feudum eo casu retinere debet. *Reusner L. III. de co. 4. n. 26.*

THES.



THES. XXIV.

Circa jus *Servitutum* exhibet perspicuam exem- *Casus est*  
 plum Paulus in *L. 10. pr. ff. quem. servitut. amitt. ibi: materia*  
*Si communem fundum ego & pupillus habemus, licet uter. servitu-*  
*que non uteretur, tamen propter pupillam & ego viam retineo. tum in L.*  
 Agit nim. textus in specie de servitute viæ, quæ fun- *10. ff. quem*  
 do debetur, qui communiter à pupillo & majori *servit.*  
 possidetur, hæc enim licet alias non utendo per tem- *amitt. ve-*  
 pus Lege definitum amittatur *L. 7. ff. qm. servit. amitt. censeatur.*  
 tamen hoc casu ex persona pupilli retinetur, liqui-  
 dem contra hunc usucapio propter non usum non  
 currit. Struv. *Synt. Civ. Exerc. XIII. ib. 60.* Ratio vero  
 hujus decisi habetur in *L. 18. ff. de S. P. R.* quia scilicet  
 via, tanquam servitus realis est individua, & aut tota  
 retinetur, aut tota amittitur, & idcirco propter con-  
 nexitatem causæ, etiam major viam retinet, quæ cum  
 pupillo ipsi communis est. Idem præterea non tan-  
 tum in via, verum etiam in reliquis servitutibus rea-  
 libus procedit, propter jus solidi, quod in hisce cau-  
 sis inesse dicitur. *L. 4. §. 3. Si servit. vind.* Ulterius hoc  
 etiam in sociis majoribus procedit ob connexitatem  
 causæ, ut non amittatur servitus per non usum si  
 unus saltem ex sociis usus fuerit. Nam si plurium  
 fundo communi aquæductus debitus esset, per unum  
 eorum, omnibus his, inter quos fundus communis  
 est, usurpari potuit. Et hic casus est *L. 16. ff. qm. ser-*  
*vit. amitt.* Nisi tamen, cum fundus regionibus divisus  
 esset, alter sociorum tantum sit usus, tunc enim al-  
 ter, qui non est usus, per eum, qui usus est, servitu-  
 tem non retinet *L. 6. §. 1. ff. qm. Servit. amitt.* & præ-  
 terea limitatur, si pluribus quidem servitus deberetur,



sed diverso tempore & loco, tunc si non omnes sint usi, hisce, per eos, qui usi sunt, servitus non conservatur. *d. l. 16.* quia proprium eorum cuiusque jus fuit, neque per alium usurpari potuit. *Struv. Synt. Civ. Exerc. XIII. th. 63.* Pariter huc pertinet, quod per usum *alterius* etiam nobis servitus retineatur, non tantum si nostro nomine quis utatur, veluti colonus, procurator &c. verum etiam si suo tantum & proprio nomine, veluti si quis fundum dominantem vel bona vel mala fide possederit & servitute usus fuerit *L. 24. ff. qm. servit. amitt.* quia satis est, nomine fundi itum esse. *L. 6. pr.* habetur enim respectus potissimum ad rem, & inde per consequentiam factum unius alteri quoque prodest, & jus ejusdem in fundo conservat. Confer. *Mantzius de Servitut. T. 6. n. 60. & seq.*

THESES. XXV.

*Ius Patronatus Clerico & laico communi intra quod tempus exerceatur.*

Ad res incorporales, rebus frequenter inhaerentes, refertur etiam *Ius Patronatus*, de quo pariter ad hanc causam notari meretur; Quod Laicus Patronus si habeat Compatronum ecclesiasticum etiam habeat semestre spatium ad praesentationem sicuti Clericus, licet alias solus quatuor tantum menses habeat *Cap. un. §. 1. de Iure Patronat. in 6to. Schurf. Cent. III. Conf. 94. n. 6.* Rationem Canonista hanc allegant, quod propter communionem magis dignum trahat ad se minus dignum *Finckelth de Iure Patron. Cap. 6. n. 92.* Idque etiam procedit, licet Patronus Laicus seorsim praesentaret, quia non ideo desinit esse compatronus ecclesiastici, & habere communionem cum eo in jure Patronatus. *Garcias de Benef. Part. V. Cap. 9. n. 210.*

9. n. 210. Pari modo à contrario concludunt ; quod Patronus Laicus cum ecclesiastico non possit variare ; Licet enim alias patronus Laicus intra spatium sibi præfixum plures possit successive, ad idem beneficium præsentare *Clem. 2. de Jure Patron.* imò uno indigno præsentato, potest alium dignum per accumulatio- nem præsentare, si modo tempus præsentationis non- dum elapsum sit. *Cap. 24. X. de Jure Patron.* Engel *Colleg Jur. Can. L. 3. T. 38. n. 10.* Attamen si cum clerico in præsentatione concurrat, jus variandi non datur, quia cum gaudeat privilegio patroni ecclesia- stici, ita quoque incommodum ratione communio- nis sentire debet. *Citadin. de I. Patron. Part. VI. n. 36.*

THESES. XXVI.

Ex causa hereditaria obvenit hic controversa *Victoria* maxime inter Doctores quaestio ; An victoria per *per quere-* querelam inofficiosi testamenti obtenta ab iis, qui *lam inoffi-* quis querelandi habent, profit etiam aliis, querelam *cioso testa-* ex sua persona non habentibus, ita nimirum, ut ex- *menti ob-* pugnato semel ab iis testamento, etiam hi simul ad *renta an* successorem ab intestato admittantur, cum alias *aliis profit* absque illorum concursu, per testamentum factum, *querelam* fuissent exclusi ? Certe non desunt Summi Juri, *non haben-* qui, expugnato per querelam testamento, tales per- *tibus ?* sonas simul cum querelantibus ad successorem ab intestato admittunt, uti notat Vinnius & Mynsing. ad *S. 1. Inst. de inoff. testam. & inprimis Bachov. ad Treutler. Volum. I. Diss. 13. ib. 4. Litt. D. quem etiam se-* quitur Stryck. de *Succ. ab intest. Diss. I. Cap. I. ib. 26.* Rationes vero quibus iidem moventur in eo con- cludunt, quod querela inofficiosi causam testati re- ducat

ducat ad causam intestati, idque probant ex *L. 6. §. 1. ff. de inoff. testam.* Deinde afferunt *L. 16. ff. de inoff. testam.* quæ agit de filio cum quo filia admittenda foret, si aut egisset aut obtinisset. Verum contrariam sententiam defendunt Harprecht ad *§. 1. Inst. de inoff. test.* Scotan. *Disp. ad Pand. XXIV. thes. 9.* Struv. *Synt. Civ. Exerc. X. th. 24.* & novissime Huberus ad *Pand. de inoffic. testam. th. 9.* latius propugnat, cui sententiæ etiam accedo ex sequentibus argumentis (1) quod in *L. 19. ff. de inoff. testam.* dicatur, posse fieri, quod per querelam non totum rescindatur testamentum, sed saltem ex parte infirmetur, & ita per accidens fiat, ut testator ex parte saltem ab intestato decessisse habeatur. (2) in *L. 24. ff. cod.* dicitur. Quod si diversi juris fuerint hæredes, possit fieri, ut testator pro parte testatus & pro parte intestatus possit decedere, & ita quoque in nostro casu, testamentum rescinditur pro parte querelantium, sed respectu illorum qui jus querelandi non habent, manet firmum. Cum enim hisce per testamentum præteritis nulla facta fuerit injuria, siquidem per legem id licuit, ideo non potest speciale privilegium quod certis tantum personis querelam moventibus in jure concessum fuit, aliis prodesse in fraudem & contra mentem Legis, maxime cum agatur de evertenda ultima voluntate, quæ in passibus suis utilibus non debet per inutile vitiari. Accedit (3) quod hæc rescissio testamenti non sit facta ex causa omnibus hæredibus ab intestato communi, verum ex causa *judicati*, quæ effectum tantum inter litigantes producit, & ita aliis jure penitus exclusis, nequit contra rationem juris prodesse argum. *L. 63. ff. de Re Jud.* TH.

THES. XXVII.

Neque obstant huic sententiæ superius in con- *Obstantia*  
 trarium allata, nam primo *L. 6. §. 1. de inoff. testam. resolvun-*  
 agit de illis personis, quæ jus agendi habuerunt, sed *tur.*  
 per incuriam hætenus jus suum persequi neglexe-  
 runt, his enim victoria à tercio, contra scriptum hæ-  
 redem obtenta, non novum jus tribuit, neque ipsis  
 jus aliquod ex persona victoris conciliat, cum ipse  
 jus *nullum* habuerit, cum vicerit, atque ex autoritate  
 rei iudicata scriptus hæres repellatur; sed ipsi hære-  
 des ab intestato vocati jure proprio nunc veniunt,  
 tamquam infirmato ob casum aliquem testamento.  
 Quod tamen ad nostrum casum non potest applicari,  
 ubi successio ab intestato non in totum reducitur,  
 sed tantum respectu ejus, qui *jure* egit, & ita suo juri  
 studere voluit, non aliis prodesse, ut inde à victoria  
 litis, quæ *casu* obtenta, ad victoriam quæ *jure* impe-  
 trata, non possit fieri argumentatio. Neque obstat.  
*d. l. 16. eod.* Agit enim textus de personis *pari* jure  
 vocatis, aliter ergo se res habet in personis *diverso* ju-  
 re venientibus, prout in nostro casu evenit. Etenim  
 de liberis id proditum est, ut quando unus ex illis  
 testamentum evertit, tunc reliquis idem remedium  
 applicetur, ut æqualis maneat omnium conditio  
*L. 3. §. 1. l. 10. §. ult. de Bon. poss. contr. tabb.*

THES. XXVIII.

Notabile porro recenset Marcianus in *L. ult. ff. Explic. L.*  
*de liber. & posthum.* circa exhæredationem filii eman- *ult. ff. de*  
 cipati, quod licet exhæredatus *emancipatus* quando- *liber. &*  
 que bonorum possessionem contra tabulas petere *posthum.*  
 non posset, forte quod iusta fuerit exhæredatio;

E

tamen

tamen si in eodem testamento, alter, *suus* hæres, in potestate testatoris existens, fuerit præteritus, uterque ad bonorum possessionem, ab intestato, scilicet ex Edicto, Unde liberi, petendam, recte admittatur. Cum enim tale testamentum, in quo suus est præteritus, sit ipso jure nullum; licet respectu emancipati, qui jure antiquo libere præteriri poterat, sit validum; ut sic proprio jure ex nullo capite, aut nullitatis aut querelæ impugnari potuerit: Attamen cum respectu sui præteriti esset nulliter conditum, & ita neque exhæredatio emancipati in tali testamento, nulliter condito, valere poterat; Ideo JCrus decidit, emancipatum, hoc casu, jure *sui* uti posse, simulque cum ipso ab intestato admitti, à qua successione, alias, solus existens, fuisset exclusus. Cæterum jure Novellarum hæc penitus cessant, siquidem quoad necessitatem institutionis differentia inter suos & emancipatos sublata.

THES. XXIX.

Casus porro singularis in causa hæreditaria ex Marciani scriptis refertur in *L. 55. ff. de acqu. l. omitt. hered.* cujus verba sunt sequentia: *Cum hæreditate patris necessarius hæres se abstineat, conditio cohæredi, sive suo, sive extraneo, desertur, ut aut totam agnoscat, aut à tota recedat: & ita se abstinere potest propter alium, qui per suam personam non poterat: si tamen creditores dicant, se contentos esse ejus portione, quia non potest exonerari, nisi deseratur conditio, & alterius parte abstinere se creditores debent, ut ejus actiones ei, qui convenitur, dentur. Potest autem hæc lex dupliciter accipi; aut de jure accrescendi, ita ut queratur an cohæres, portione sua agnita & retenta,*

*Explicatur l. 55. de acqu. vel admitt. hered.*

retenta, teneatur alterius abstinentis cohæredis portionem simul agnoscere; prout illam Legem explicat Vasqu. de *Sucessi. Progressi. L. III. §. 23. n. 49.* aut de jure abstinenti, vel repudiandi, suam portionem agnitam, una cum portione deficientis, sibi ex jure accrescendi delatam, prout intelligit Glossa & Brunnem. *ad. d. l.* Neque uterque intellectus verbis Legis aut analogia juris repugnat. Prior casus latet in verbis textus, *quia non potest exonerari*, hoc est, quia ab hæreditate, qua se semel immiscuit, non potest regulariter abstinere. Posterior in illis verbis: *condictio* s. electio, *defertur, ut aut totam agnoscat, aut à tota recedat* h. c. & suam portionem, jam agnitam, una cum delata dimittat. Duo tamen inde resultant observata, quæ ad nostram propositam materiam reduci possunt. Primo etenim juris recepti est, ut portio vacans cohæredi adeunti etiam invito accrescat *L. 35. pr. ff. de acqu. l. omitt. hered.* Tamen hic singulare est, ut propter concurrentem hæredem necessarium, jure Prætorio abstinentem, alter cohæres sive suus sive extraneus electionem habeat, an velit jure accrescendi portionem vacantem simul agnoscere, an utramque dimittere; vel certe volentibus creditoribus suam tantum retinere velit, repudiata altera portione ex jure accrescendi delata. Cujus singularitatis rationem in subtilitate quadam juris veteris & effectu *suitatis* positam arbitror, siquidem etiam post jus Prætorium, nuda existentia *suitatis* aliquos producit effectus: Sic & hoc casu hæres suus, & ita juxta jus antiquum necessarius existens, licet ex jure Prætorio abstineat, tamen videatur in actu primo fuisse hæres:

ut hinc portio ejus, utut abstineat, non videatur re-  
vera vacans, & sic nec jure accrescendi ad cohære-  
dem pertinere necesse sit, quia jus accrescendi extin-  
guitur portione semel à cohærede agnita, quæ agni-  
tio hoc casu per existentiam fuitatis induci posse vi-  
detur.

THES. XXX.

*An cohe- res portio- nem semel agnitam suam possit unâ cum delata co- hæredis abstinentis portione dimittere?*  
Altera quæstio in eo vertitur; An talis cohæres  
portionem suam semel agnitam possit unâ cum de-  
lata cohæredis abstinentis portione dimittere? Quod  
quidem juxta ordinariam juris rationem negandum  
videbatur; quia hæreditas semel agnita postea repu-  
diari nequit juxta §. *fin. Inst. de hæred. differ. & qualit.*  
Verum hoc singulare hic est, ut quod alias jure pro-  
prio facere non potuisset cohæres, jam ex jure à co-  
hærede in ipsum delato facere possit, & utramque  
& agnitam & non agnitam dimittere, nisi credito-  
res portione abstinentis velint esse contenti. Cujus  
rationem in hæreditatis individuitate ponendam cen-  
seo; siquidem ob novam factam portionis deficien-  
tis delationem, novum agnoscendi vel repudiandi  
arbitrium dari debet, quod ex natura hæreditatis in-  
dividua, necessario quoad totum, non quoad partem  
competere debet.

THES. XXXI.

*Explicatio*  
L. 74. ff. de  
condit. &  
demonstr.  
Aliquando etiam conditio *Legatis* adjecta, quæ  
non valet ex persona *unius*, valet ex persona *alterius*  
legatarii conjuncti; uti casum notabilem & diffici-  
lem refert. Papinianus in L. 74. ff. de *condit. & demonstr.*  
ibi: *Mulieri & Titio ususfructus, si non nupsit mulier;*  
*relictus est: si mulier nupsit, quamdiu Titius & vivit &*



in eodem statu erit, partem usufructus habebit: tantum enim beneficio legis ex legato concessum esse mulieri intelligendum est, quantum haberet, si conditioni paruisset: nec, si Titius, qui conditione defectus est, legatum repudiet, ea res mulieri proderit. Quanquam enim conditio: Si non nupserit, quoad personam mulieris non valeat. L. 100. ff. de cond. & demonstr. attamen tenet in persona Titii, adeoque si foemina nubat, deficit usufructus quoad partem Titii, uti exponit Gordianus Imperator in L. 1. C. de indist. viduit. toll. Hac ipsa tamen tunc portio deficiens usufructus, contra naturam legati usufructus, non foeminae conjunctae accrescit, sed ad proprietarium recidit. Imo licet Titius partem suam repudiaverit, tamen illa ad foeminam non venit. Cujus decisi rationem exinde deducere licet, quod hoc casu per foeminam steterit, quominus conditio adscripta, in favorem Titii conjuncti adimpleretur, adeoque cum mulier saltem ex beneficio legis admittatur, non potest ex gesto suo, in praerudicium alterius culposo, adhuc plus commodi consequi, quam antea habuit. Duaren. de jure accresc. L. II. Cap. ult. Nec obstant Papiniani verba, dum ait: *quamdiu vivit atque in eodem statu manet.* Quae verba non id inferunt, quasi mulier Titio mortuo, vel capite minuro, totum legatum habere debeat; siquidem statim subjicit Jctus, foeminam plus habere non posse, quam habuisset, si conditioni paruisset: verum eo spectat, ut intelligamus, vivente Titio & in eodem statu manente, rationem dubitandi fuisse, annon mulier tamdiu totum haberet usufructum, dimidiam scilicet partem ex sua persona, & dimidiam ex

*persona Titii*, quia ejus portio, ob non existentem conditionem, haberetur deficiens, & ita jure conjunctionis videretur mulieri accrescere. Verum non obstante ista ratione, Papinianus contrarium responderet: foeminam plus habere non posse, quam suam partem. Sin porro mortuus esset Titius, vel capite minutus fuerit; neque illa ratio erat pro muliere: siquidem morte vel capitis deminutione usufructus finitur. Sicuti ergo, si Titio pars usufructus deberetur, illa deficeret, & ad proprietatem rediret, eo mortuo vel capite minuto: ita nullo modo dubitandum videbatur, quin si Titius, jam conditione defectus, moreretur, vel capite minueretur, mulier prorsus exclusa foret, usufructu nimirum tunc finito, atque ad proprietatem revertente. Conf. Fachin. L. 4. *Controvers.* Cap. 99. Vasqu. de *success. Creat.* l. 1. §. 10. n. 130.

THES. XXXII.

*Explicatur l. 3. § 8. de Edict. Carbon.*

Ad Bonorum possessionem Decretalem, quæ ex jure Pratorio, & quidem in specie ex Edicto Carboniano defertur, pertinet Casus in l. 3. §. 8. ff. de *Edict. Carbon*, ubi Ulpianus ex mente Juliani ita refert: *Ibidem Julianus querit: Si duo impuberes patientur status controversiam, & alter eorum pubuerit: expectari alterius quoque pubertas debet; scilicet, ut sic de utriusque statu agatur, ne aliquod præjudicium fiat impuberi per puberis personam.* Constat nimirum ex tenore Edicti Carboniani, quod controversia impuberi mota circa statum legitimisationis, debeat ad annos pubertatis differri. Quod si proinde duo impuberes, inæqualis ætatis, quorum unus decem, alter duodecim annis, existe-

existeret, status controversiam patiantur, uno licet pubescente, iudicium status non tenetur suscipere, nisi & alter pubes factus fuerit, ne jus unius laedatur ex persona alterius, & ita alter ex persona alterius dilationem iudicii consequitur.

THES. XXXIII.

Circa pignoris causam singularis se offert casus in *L. 3. ff. quæ res pign. vel. hypoth. dat. oblig.* ubi Paulus de-  
 cidit; Quod secundus creditor, licet pactum, de non  
 vendendo pignore, cum debitore inierit, tamen, si  
 dimisso antiquiori creditore, qui tale quid non fue-  
 rat pactus, idem jus ex persona illius consequatur,  
 ut, non obstante suo pacto possit nihilominus jure  
 creditoris vendere pignus; si modo primus creditor  
 illud ex pacto habeat. Quamquam enim tale pactum  
 appositum non omnino impedit vendendi jus; tamen  
 difficilius reddit, ut pluribus observatis solennitati-  
 bus & denunciationibus demum vendere liceat.  
*L. 4. ff. de pignor. act.* Atque ita jus quod ex proprio  
 pacto amiserat, ex persona alterius eidem resti-  
 tuitur. Neque debitor hoc casu de fide rupta aut  
 injuria sibi facta potest conqueri, cum omnis con-  
 ventio intelligatur rebus sic stantibus; jam  
 ergo mutata conditione creditoris, per successio-  
 nem in alterius locum, incidit etiam ista promissio  
 in alium casum, quem forte paciscentes ante non  
 cogitarunt, nec proinde in jure postea quæsito &  
 superveniente eidem anterior sua conventio nocere  
 potest; quoniam conventio ad non cogitata non po-  
 test extendi. Et quidem hoc facilius procedit, si  
 uterque & primus & secundus creditor sint hypothe-  
 carii,

*Explica-  
 L. 3. quæ  
 res pign.  
 vel hy-  
 poth. dat.*

carii, de quibus etiam textus in specie agit; tunc enim, cum ex sola sua conventionem, qua creditor primus dimittitur, omne jus pignoris anterioris consequatur *L. a. C. qui pot. in pign.* omnino actus ille cum pleno effectu est intelligendus Faber in *Cod. Sabaud. L. IX. T. 9. def. 2.* ita, ut cum jam ex propria persona pignus aliquod habeat, nunc plus consequatur ex jure dimissi creditoris, ne alias actus agentium fiant frustranei, & sic etiam obtineat jus vendendi pignus, tanquam naturam pignoris annexum *L. 4. de pignor. acti.* Atque hoc procedit non tantum si *diverse* res sint, quæ primo & secundo creditori fuerint oppignorata, ita nimirum, ut teneat quidem pactum de non vendendo in re sub hac qualitate oppignorata, non vero valeat in re primo creditori oppignorata, in cujus locum & jus jam succedit secundus Bachov. de *Pignor. L. IV. Cap. 16.* Verum etiam si *eadem* res pluribus oppignorata sit, & unus de non vendendo pignore pactus sit, alter non. Siquidem etiam hoc casu pactum illud ex jure alio superveniente resolvitur, & distrahendi facultas nihilominus competit, ne alias per talem dimissionem creditoris lædatur, quæ tamen in ejus beneficium adinventæ.

THESES. XXXIV.

*Hypotheca mulieris concurrens cum tacita anteriori & expressa intermedia.*

Casus præterea singularis occurrit, concurrentibus tacita hypotheca anteriori, expressa intermedia, & dote mulieris postrema; ubi quæritur, quænam hypotheca sit præferenda? Certè tacita hypotheca licet tempore anterior, primum locum tenere nequit, cum à dote mulieris superetur juxta *l. affinitatis 12. C. qui pot. in pign.* Neque etiam expressa intermedia,

media, cum eidem præferatur tacita antiquior arg. *l. 4. C. cod.* Neque porro dos mulieris præponenda videtur, cum juxta communioem Doctorum sententiam privilegium prælationis doti tributum pertineat quidem ad hypothecas *tacitas* anteriores, non vero ad *expressas*. Siquidem illæ dependent à Lege, adeoque per privilegium Legis removeri & postponi possunt. At vero hæ dependent ex conventionione partium, quæ jus facit *quasitum*, quod Princeps in dubio, per concessum licet alteri privilegium, non videtur auferre voluisse juxta *l. nec avus 4. C. de emancip. Coler. Part. II. dec. 270.* Nihilominus tamen tradunt, mulierem hoc casu in dote sua præferendam esse; siquidem primum creditorem, qui tacitam hypothecam habet, vincit ex proprio privilegio; Expressam vero intermediam vincit *ex persona primi creditoris*, cui ipsa præfertur, ut ita jus prælationis, quod alias ex sua persona propria non haberet, prout late deducit Donell. ad *l. 12. C. qui pot. in pign. n 4. seqq.* consequatur ex persona alterius, juxta communiter receptam regulam; si vinco vincentem te, vinco te ipsum Carpz. *P. I. Const. 28. def. 175.* Cœterum hoc præsupposito dubium adhuc manet, cur mulieri potius prælatio concedatur, ut possit vincere expressam hypothecam, cur non ex eadem ratione creditor anterioris tacita hypothecæ, qui vincit expressam intermediam, etiam ex jure hujus secundi creditoris vincere queat mulierem; maxime cum ita magis ordo temporis & ratio analogiæ juris communis observari videatur; quod aliis resolvendum relinquit

Rauchb. *P. I. Quest. 4. n. 27.* Et profecto rationem diversitatis non licet aliunde accerere, quam ex privilegio & favore dotis, atque ab observantia fori, qua ita semel in jus commune invaluit. Carpz. *l. c. n. 10. seqq.* Plures adhuc ejusdem materiae casus recenset & decidit ex usu fori Berlich. *Conclus. Pract. Part. I. Conclus. 72.* Sed sub eadem dubitationis ratione derelinquit.

THES. XXXV.

*ius possessionis ex persona alterius quaesitum.* Ad causam possessionis referri potest; Quod missio olim à Pratore facta ex causa pluribus communi v. g. legati, damni infecti, non tantum missis prodest, sed omnibus creditoribus, parem causam habentibus, prout decidit Paulus in *L. 12. pr. de reb. aut. jud. possid. ibi*: Cum unus ex creditoribus postulat in bona debitoris se immitti: quaritur utrum solus is, qui petit, possidere potest; an cum unus petit, & Prator permisit, omnibus creditoribus aditus sit? & commodius dicitur, cum Prator permisit, non tam persona solius petentis, quam creditoribus, & in rem permissum videri: quod & Labeo putat. Nec videbitur libera persona acquirere alii: quia nec sibi quiequam acquirit, cui Prator permittit: sed aliquid ex ordine facit: & ideo ceteris quoque prodest. Plane si is postulaverit, qui creditor non est: minime dicendum est, vel eum, qui creditor est, possidere posse: quia nihil egit talis postulatio. Aliter atque si creditor, cui permissum est possidere, postea recepit debitum suum: ceteri enim poterunt peragere bonorum venditionem. Est tamen necesse, ut intra statutum à Pratore tempus com-  
parue-

paruerint. Struv. *Synt. Civ. Exerc. 26. th. 29.* Fallit præterea in pignore judiciali, quando immissio fit ex causa iudicati, de quo casu agit *l. 3. C. qui pot. in pign. l. 6. §. 7. quæ in fraud. Cred.* Deinde huc exempli loco referri potest, quod tradit Marcianus in *l. 9. §. 1. ff. de re milit.* Quod licet milites prohibeantur prædia comparare in his provinciis, in quibus militant, præterquam si paterna eorum fiscus distrahat; tamen si hæredes extiterint paganorum, prædia ibidem possidere non prohibeantur. Et ita ex persona defuncti consequuntur jus etiam personale, quod ex propria persona non haberent, siquidem hæreditatis delata ratione nonnulla permittuntur, quæ alias forent illicita arg. *l. 1. §. 12. ad Leg. Corn. de fals.* Intelligitur tamen ista prohibitio comparationis militaris tantum de prædiis rusticis, ( licet circa conductionem inter prædia urbana & rustica non distinguatur *l. 31. l. f. C. de locat.* ) ne scilicet agriculturæ studio milites à militia avocentur & omisso armorum usu ad ignobile & sordidum opus rusticum se conferant; Quæ ratio cessat in prædiis urbanis & acquisitis in alia provincia, quam ubi merent, & sic talia tuto sibi acquirunt, nec acquisita fiscus vindicat *l. 13. pr. de re milit. l. 15. C. eod.* Cæterum & talis prohibitio moribus nostris cessat. Add. Voet. de *re milit. Cap. VI. th. 29. 30.*

THESES. XXXVI.

Vilis iuris in re, transgredimur ad iura ad

F 2

rem, *Explicatur*  
rem, 23. §. fin.

*ff. de Aedi.  
lit. Edict.*

rem, ubi quidem casus acquisitionis ejusmodi legalis immediatæ rarius occurrunt, cum ibi plerumque factum aliquod hominis obligatorium sit intermedium, quod acquisitionem fundat arg. l. 3. pr. ff. de O. & A. Nihilominus tamen & circa hoc casus aliquot notare licuit. Etenim circa contractum emtendi, & incidentem ibi causam redhibitionis, aliquando evenit, ut venditor ex persona emtoris consequatur id, quod ex propria persona consequi non poterat. Cujus rei Casus affertur ab Ulpiano in l. 23. §. fin. de Aedilit. Edict. Ubi venditor servum ex redhibitione recipiens, una cum fructibus & accessionibus intermedii temporis rem capit, nec tantum iis, quos si venditio facta non fuisset, venditor ipse percipere potuisset; verum & illas accessiones emtor restituere tenetur, quos venditor percipere non potuerit forte, si legatum vel hereditas servo obvenit, neque refert, potuerit consequi hac venditor, annon potuerit, si servum non vendidisset; ponamus enim talem esse, qui capere aliquid ex testamento non potuerit: NERUM hac res nihil nocēbit, siquidem accessiones hic spectantur rei, non personæ arg. L. 56. ff. de petit. hered. Nec potest emtor hac de re conqueri, quasi res intuitu ejus relicta, & per servum ipsi acquisita, auferatur, & tertio adjudicetur, cum non necesse sit emtorem redhibitoria agere, sed habeat electionem, an hac, an vero quanti minoris agere velit L. 25. §. 1. de except. rei judicat. Unde si redhibitionem elegerit videtur in omnem causam consensisse, ut ita omnia resti-



restituere debeat, quæ per servum sunt extra rem  
 emtoris acquisita l. 24. ff. de Aedilit. Edict.

THES. XXXVII.

Effectus porro nostri decisi spectatur inter so- *Explicatur*  
 cios, siquidem aliquando socius ex suo persona juris l. 29. de li-  
 habendi incapax per alterum socium, ejus juris ca- *berat. le-*  
 pacem, id capit Gail, de Arrest. Cap. 8. n. 9. *Casum gat.*  
 hujus refert Paulus in l. 29. de liberat. legat. Ubi te-  
 stator duobus reis promittendi liberationem ab hære-  
 de legaverat, & licet alter ex testamento capere nil  
 posset; Attamen *si socii sint, propter eum qui capax*  
*est, & ille capit per consequentias, liberato illo per accepti-*  
*lationem: id enim eveniret, etiam si hæres solum capacem*  
*liberare jussus esset.* Cum enim inter correos una sit  
 omnium obligatio aliter fieri non potest, quam ut,  
 obligatione correali per acceptilationem, vel alio  
 modo, perempta, liberentur omnes l. 2. ff. de duob. reis.  
 Ceterum hæc ipsa liberatio, ita intelligenda, ut cor-  
 reus quidem iste incapax liberetur ab hærede, quem  
 testator ad liberandum damnavit. Sed non libera-  
 tur à correo, cui suam ratam contribuere tenetur.  
 Cum enim legatum hoc liberationis tantum in per-  
 sona capacis subsistat, atque ideo debitum huic ac-  
 cepto latum ab hærede, imaginariam solutionem fa-  
 ciat, jam vero correo solidum solvens possit ratam  
 à socio repetere; Ideo neque hoc casu repetitio erit  
 contra corream deneganda, neque exceptio legati  
 huic proderit, cum in ejus persona sit nullum arg.  
 l. 140. de Verb. Sign.

*Limitatio  
subicitur  
& textus  
obstantes  
resolvun-  
tur.*

Atque hoc procedit si res sit individua, & socii sint correi, ut tunc eo ipso liberetur ab hærede incapax, cum integra obligatio ipso jure sit extincta, Sin vero socii non sint, accrevit quidem obligatio incapacis, & liberatio capacis ipsi nil prodest, sed ita, ut delegatio vel cessio actionis, quæ in solidum adhuc contra correum durat, sit necessaria, & ita capax percipiat; quod incapaci denegatur. Goëdd. l. c. Nec obstat dictis (1) *L. si Titio 7. de legat. 2.* ubi Paulus ait. *Si Titio & ei qui capere non potest decem legata sint, quia duobus hæres dare damnatur, & unus capere non potest, quinque sola Titio dantur.* Resp. Agit textus de legato quod partes recipit, ubi acquisitio per alium cessat; at legatum liberationis est individuum, cum in solidum singuli sint obligati, & ita liberatio unius proficit etiam alteri re ipsa conjuncto. (2) Opponitur *l. 34. §. 9. de legat. 1.* ibi: *Si conjunctim res legetur: constat partes ab initio fieri: nec solum hi partem faciunt, in quorum persona constitit legatum, verum hi quoque, in quorum persona non constitit legatum: ut puta Si Titio, & servo proprio sine libertate.* Resp. Partem facere dicuntur, non quorum persona in divisione legati partem accipiunt: Sed cum ejus, qui repndiat aut incapax est, pars conjuncto accrescit, ad hunc nimirum effectum, ut licet conjunctus legatarius sit incapax, atque in ejus persona legatum non consistat, tamen propterea, alter conjunctus, non teneatur integrum legatum invitus agnoscere,

agnoscere, sed possit suam tantum partem retinere & alteram dimittere, & ita talis conjunctio incapacis jus accrescendi non tollit, sed tantum agnitionem legati, in re dividua, dividit. Denique (3) Obstat. *l. 5. §. 1. de donat. int. vir. & uxor.* Resp. Duo in hac lege continentur casus, primo, ubi acceptilatio initium sumit à persona incapace, adeoque neque ad capacem extendi potest, quod ab initio non consistit. At vero in nostro casu legatarius capax ab initio statim concurrat, ex cujus persona legatum statim ab initio sustinetur; Deinde talis supponitur casus, ubi acceptilatio initium quidem sumit à capace, atque quoad ejus personam liberatio contingit, veruntamen non extendit ad personam mulieris incapacem. Verum Resp. Ratio diversitatis in eo consistit, quod donatio inter conjuges sit titulus legibus penitus prohibitus, adeoque fundamentum ipsius acquisitionis deficit, ut ita non possit incapaci nec per consequentiam proficere; At in legato liberationis, titulus legati non prohibitus, sed tantum inhabilitas personæ spectatur, ubi facilius acquisitio ex persona alterius habilis potest suppleri.

THES. XXXIX.

Idem præterea in criminalibus observare licet, *Quæstio* et aliquando nocens ex persona innocenti beneficium *adulterii* aliquod, dilationem ac mitigationem pœnæ conse- *ob favo-* quatur. Singulare hujus rei exemplum exstat in *rem im-* *l. 8. ff. de vener. in poss. mitt.* ubi Paulus refert: *Si* *puberis* *differtur.* *ventris nomine mulier missa sit in possessionem, Divus Ha-* *drianus*

*drianus Culpurnio Flacco, differendam accusationem adulterii rescripsit: ne quod præjudicium fieret nato.* Est nimirum quæstio de adulterio uxoris commisso, favore impuberis differenda, usque ad ejus pubertatem, ac scilicet alias, si mater adulterii convicta fuerit, cogatur impubes de possessione decedere, atque ita Edictum Carbonianum & effectus immissionis elidatur. Beneficium ergo uxoris in eo consistit, ut non statim iudicium legis Juliae de adulterio pati debeat, & ita potest ante decedere, vel forte cum accusatoribus pacisci, & ita famam conservare vel morte poenam evitare. Et licet ipsa ex sua persona propter imputatum delictum hoc privilegio dilationis habeatur indigna, tamen ex statu & persona impuberis hoc beneficio simul fruitur. Obijciuntur vero huic Pauli deciso (1) *L. 13. ff. de Carbon. Ed.* ubi quæstio talis non differenda dicitur; verum additur responsio in ipso textu, quando scilicet per motam illam quæstionem pupillo non præjudicatur arg. *L. 3. §. 2. de jurejur. l. 3. §. 6. de Ed. Carbon.* Ita nimirum quando semota quæstione status pupillaris, accusatio mera adulterii tantum peragitur; siquidem non præcisè sequitur, partum esse adulterinum, licet mater adulterii convicta fuerit, est enim præsumtio pro partu, adeo, ut si mulier adultera simul eo tempore cum marito cohabitavet, partus potius ex marito quam adultero conceptus præsumatur *l. 11. §. 9. ff. ad L. Jul. de adult. Menoch. L. 6. Præf. 53.* Nec Obstat (2) *L. 1. C. ad Leg. Corn. de fals.* ubi quæstio de falso partu supposito non debet differri ad pubertatem. Resp. itidem sub illa declaratione hoc intelli-

intelligendum, ut matri hoc quidem præjudicet non partui, quatenus nimirum causæ invicem separari possint.

THES. XL.

Pariter dilationem poenæ capitalis vel corporis afflictivæ consequitur foemina prægnans propter favorem partus in utero existentis, ne innocens pereat, per l. 18. ff. de Stat. hom. eandemque ob rationem quaestionem etiam seu torturam differri notat l. 3. ff. de poen. Idemque Doctores quoque de territione & reali & verbali intelligunt, si partui inde periculum aliquod metuendum Tabor de *Quæst. Cap. 5. n. 30.* Similiter impunitas quandoque conceditur delinquenti ex persona focii, quando nimirum unus puniri non potest, quin non & alter innocens lædatur, ita cum domus ex delicto v. g. propter crimen prodicionis foret diruenda, non diruitur, si illa domus sit communis, quia necessario alterius pars dirueretur Menoch. *Remed. I. recuper. poss. n. 378.*

*Exempla dilatae accessantis poenæ ob concursione innocentis.*

THES. XLI.

Singulare porro refert Glossa ad l. 70. ff. de furt. circa actionem furti propter surreptam rem hæreditariam. Nimirum quamvis rei hæreditariæ furtum proprie non fiat l. 68. ff. de furt. Siquidem ad formalem furti rationem, juxta Leges civiles, requiritur, ut res possessa sit, atque invito domino ac possessore auferatur l. 1. §. 15. Si is qui testam. lib. qualis rei possessio & affectio non cadit in hæreditatem jacentem, quia facti est Hillig. ad Don. L. XV. Cap. 28. lit. H. Attamen, si res à defuncto fuerit pignorata aut commodata, & tunc, jacente licet hæreditate, fuerit surrepta, nihilominus

*Actio furti quatenus detur hæredi ob rem hæreditariam juxta l. 70. ff. de furt.*

hæredi postea datur furti actio *l. 70. ff. de furt.* Licet alias si res penes defunctum extitisset in hæreditate vacua, hæredi danda actio furti non fuisset, verum potius *expilata hæreditatis accusatio* intentari debet *l. 2. ff. expil. hæred.* quippe quæ adeo etiam hoc casu regulariter competit, ut si ab uno cohæredum intentata fuerit, hoc propter communionem juris hæreditarii omnibus profit, prout notat Paulus *l. 4. ff. expil. hæred.* ibi: *Res hæreditarias omnium hæredum fuisse communes; & ideo cum, qui expilata hæreditatis crimen objicit, & obtinuit, etiam cohæredi profuisse videri.* Atque ita hæres actionem furti, quam ex propria persona & jure instituere non poterat, consequitur ex possessione per personam creditoris vel commodatarii detenta; Id quod etiam salva juris analogia fieri potest. Cum enim res à defuncto ex pignore tradita, & commodata in bonis ejusdem & possessione civili maneat, ideo per factum & personam creditoris ac commodatarii, quasi à defuncto adhuc possessa, & ita ex possessione reali invito possessore ablata habeatur, ut hinc in rationem furti formalem incidat & actioni furti locum faciat.

THESES. XLII.

*Exempla  
ex judici-  
alibus re-  
feruntur.*

Pergimus ad *judicialia*: ubi quidem exempla in vulgo nota sunt, quomodo ex concursu & persona tertii, atque ob continentiam causarum, quis forum, aut instantiam sortiatur. Unde quoque brevissime quædam, ne labor nimium excrescat, notabimus. Sic si confors litis in causa communi forum privilegiatum habeat, hoc etiam prodest alteri, qui ex sua persona fori privilegium non habet, ne scilicet iudicium distrahatur *l. nulli 10. C. de judic.* Berlich. *P. II. dec. 220.*

Ita

ita laicus etiam in foro ecclesiastico conveniendus, si cum clerico rem communem habet. *Grammat. dec. 21.* Sive causa sit civilis sive etiam criminalis *Gometz Variar. Resol. Tom. II. C. 33. n. 1.* Similiter privilegium miserabilium personarum ex *l. un. Cod. quand. Imperat. inter pup.* pertinet etiam ad litis consortes alias non privilegiatos *Thessaurus dec. 77. n. 2. seqq.* Pariter privatus gaudet jure Aufregæ cum Statu Imperii in continentia causæ *Lauterb. T. de quib. reb. ad eund. jud. cat. p. m. 156. Gail. l. 1. O. 32.* Et si plures sint litis consortes, quorum unus tantum immediate Camerae est subiectus, omnes in illa causa communi forum in Camera sortiuntur, cessante exceptione primæ instantiæ *Myns. Cent. I. Obs. 4. n. 2.* Ita quoque dilatio ab una parte impetrata est utrique parti communis *l. 6. Cod. §. 1. de temp. restit. in integr.* Nec non appellatio ab uno litis consorte interposita in causa communi atque individua prodest alteri, ita, ut licet ex propria persona non appellaverit, tamen possit adherere & suum quoque interesse deducere *Scacc. de Appellat. quest. 12. n. 71. seqq.* modo causa connexa & individua sit, & fiat adhesio intra decem dies à tempore notitiæ *Mev. P. I. dec. 158.* ac debet notificari judici à quo, & tunc effectum habet, licet appellans prior renunciaverit appellationi *Brün. Proc. Civ. Cap. XXVIII. n. 27.*

THEs. XLIII.

Superioribus denique observationibus contrarium *Contraria* est; Quod aliquando quis ex concursu tertii *minus juris exemplis* habeat, quam alias vel solus, vel cum alio concurrentes habebat, ut sic potius aliquid amittat quam acquirat. Ita *declaran-* ascendentes secundi vel ulterioris gradus numero im- *tur.* pares, si inter se soli concurrant, succedunt in lineas sive genera, ita, ut v. g. avus in linea paterna solus existens dimidiam hereditatis partem capiat, & alteram dimidiam duo in altera linea existentes *Nov. 118. Cap. 2. Gudelin. de Jure noviss. L. II. Cap. 14.* At vero si cum fratribus defuncti

vel fratrum liberis concurrant, tunc successio fit in capita, etiam si diversarum linearum, numero impares fuerint, & ita unus avus in linea altera existens, cum antea dimidiam caperet, nunc portionem tantum virilem auferat. Stephani ad *Nov. 118. n. 47.* Struv. *Synt. Civ. Exerc. XXXVIII. tb. 29.* Similiter is, qui cum muliere tamquam confidejssor, apud eundem creditorem intercesserit, beneficium divisionis amittit, quod alias ex Epistola D. Hadriani fidejssoribus competit, & subducta persona mulieris obligatur in solidum, juxta *l. 48. pr. ff. de fidejss.* Cum enim scire possit ac debuerit, foeminam non posse se efficaciter ex fidejssione obligare, hic error juris eatenus ipsi nocet, ut obligationem videatur in solidum suscepisse. Aliter res se habet si foemina vel tamquam principalis correa simul cum masculo intercesserit, vel utilitatem quandam inde habeat, de quo casu loquitur *l. 18. ff. ad SCt. Vellej. item l. 2. §. C. eod.* Cessat denique supra scriptum decissum in omnibus casibus, ubi vel dispar ratio dari potest, vel diversitas causæ, ejusque dividuitas se exerit. Everhard. *Conf. 118. Pantschm. l. II. qu. 8.*

THES. XLIV.

*Epilogus.*

Atque hæc sunt, quæ de jure ex persona tertii quaesito in præsens adducere placuit. Credo equidem fore plerosque, qui hoc genus scripturæ leve & non satis dignum quin perlegatur ac erudito orbi communicetur, judicent. Attamen qui vis perpendens, hanc materiam, quantum memini & ab aliis peritioribus comperi, nunquam à tali Jcto, cujus scientia in illustriori loco posita fuerit, pertractatam, sed à me, qui vix abhinc ante triennium castra musarum notitiæ & scientiæ Legum inhærentium, salutari, prima vice delibatam esse, facile infontibus conaminibus meis quid indulserit. Ulteriorem interim & solidiorem hujus doctrinæ elaborationem relinquo pleniori & accuratiori aliorum discussioni; siquidem mihi sufficiat, tentasse, quid humeri valeant, quid ferre recusent.

E I N I S.

FRÆ-




PRÆNOBILISSIMO ET ORNATISSIMO INVENI  
DOMINO  
FRIDERICO AVGVSTINO  
WERNERO  
LEGVM CVLTORI

AMICO ET AFFINI PLVRIMVM COLENDO

S. D. P.

P R Æ S E S.



Riennium est, Amice carissime, ex quo meis Exercitationibus, tam Theoreticis quam Practicis, pari laude atque diligentia interfuisti. Ut proinde jus & fas sit, Te discedentem jam, ex nostra Salana, triplici honoris exemplo, tribus verbis, comitari. Quorum primum quidem *Laudis* est, quam ex Tua humanitate, judicio atque industria, optimo meritoque jure es promeritus. Quod si enim ex Symmachi dicto: *Verus est maximus laudis profectus est, quoties sequentibus priora vincuntur.* Id recte munus feliciter adimplevisti, qui ad prima humaniorum litterarum jacta fundamenta, insigne facul-

cultatis altioris Juridicæ addidisti incrementum. Ex hoc igitur secundum honoris exemplum, *Gratulationis* nimirum nascitur, ut Tuo jam edito publico eruditionis specimini Tibique acclamare liceat, veteri olim populi Romani ore; *Feliciter* omniacedant, & honoris auctiores proferrantur in dies processus, juxta *l. 3. C. de offic. Rector. Provinc.* Huic successorium est tertium, nempe *Valedictionis*, quam omnes boni & amici Tibi, una mecum, ex animo apprecantur. Valeas igitur atque in cœptis pergas, ut tandem pertingas ad illam metam, ad quam duce fortuna, imperante Deo, & votis piorum atque optimorum Parentum es destinatus. Quo aliquando Tua in rempublicam judicariam merita Te laudare; prosperi successus Tibi gratulari; & Eventus denique rerum fortunati, dictis Tuis factisque, in longos annos, ad vitæ usque exitum, valedicere queant. Dabam Jenæ die 12.

April. 1718.



99 A 6972

ULB Halle  
002 823 799

3




Sb<sub>1</sub>

Rehov







DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**IVRE EX PERSONA  
TERTII QVÆSITO**

*QVAM*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

**DOMINO  
GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVLÆ, MONTIVM  
ANGARLÆ, ET WESTPHALÆ  
ET RELIQVA

*CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ*

SVB PRÆSIDIO  
**DN. FRIDERICI GOTTLIEB  
STRUVII**

IVR. VTRIVSQVE DOCTORIS CVRIÆ DVCALIS SAXONICÆ  
ADVOCATI ORDINARIJ

*PRÆCEPTORIS ET AFFINIS SVI PLVRIMVM  
COLENDI*

**IN ILLVSTRI ACADEMIA IENENSI**

*M DCCXVIII DIE APRILIS*

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

**FRIDER. AVGVSTINVS WERNER.**  
SCHWARTZBURGICVS.  
LEGVM CVLTOR.

IENÆ LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

